

negotio, aut maleficio intervenire : unde consurgit præsumptio, seu opinio non levis, etsi necdum omnino certa, de commissio v. g. « Indicium gravissimum » censetur, quod frequentissime solet adesse : ac proin parit assensum moraliter certum.

16. *Alia horum indiciorum explicatio, juxta Jul. Clarum.* — Alio modo hanc indiciorum divisionem explicat Jul. Clarus lib. V. *Pract. criminal.* § fin. quæst. 20. n. 1. et 2. dum « Indicia levia » appellat ea quæ sufficiunt ad capturam, ut reo tollatur facultas fugiendi; ac etiam ad inquirendum, id est, assumendas ex officio informationes contra aliquem de delicto : non tamen sufficiunt ad transmittendam ipsi inquisitionem, vel citationem. « Indicia gravia » vero nominat, quæ sufficiunt ad transmittendam reo absentis inquisitionem, eumque super delicto examinandum, atque ad ipsum torquendum. « Indicia gravissima » tandem vocat ea, quæ sufficiunt etiam ad condemnandum, arg. l. *Sciant cuncti.* c. de *Probat.* Verum hæc Clari descriptio indiciorum procedit in solis causis criminalibus, ut patet : simulque respicit potius effectum indiciorum quam illorum substantiam; unde merito retinetur prior.

17. *Quæ indicia sint levia, vel gravia, juxta arbitrio relinquuntur.* — Porro quænam indicia in casibus particularibus sint levia, vel gravia, adeoque sufficientia ad capturam, vel inquisitionem, aut torturam, prudentis judicis arbitrio est relinquendum. Farinacius cit. lib. I. quæst. 1. n. 45; Menochius lib. II. de *Arbitrar. judic.* cas. 270, n. 4. citans alios; estque jam dictum supra tit. XVIII. de *Confessis.* § 4, n. 112, et § 6, n. 139 et seqq. enumerando quædam legitima indicia in specie. Quamquam ejusmodi arbitrium debeat esse regulatum; id est, debeat regi secundum jura, et æquitatem, non autem pro mera judicis voluntate assumi. Mascardus cit. quæst. 15. n. 16, estque in simili dictum supra tit. XIX. de *Probat.* § 3, n. 60. Nunc redeundo ad præsumptiones.

18. *Præsumptio est multiplex.* — Quæritur III. Quotuplex sit præsumptio? Resp. I. Præsumptio est multiplex; uti notat Glossa c. *Is qui fidem.* §. Contra *præsumptionem de Sponsalib.* et alia Glossa in l. ult. §. *Præsumptioni.* ff. De *eo quod metus causa,* etc. cum communi. Idque probatur inductione. Imprimis enim præsumptio alia est juris, alia hominis.

19. *Præsumptio juris quæ?* — « Præsumptio

juris » (seu canonis, aut legis) dicitur illa, quæ in jure habetur expressa : hoc est, quæ a lege nominatim fit, aut ab ea approbatur. Sperellus decis. 174. *Fori Ecclesiast.* n. 50. Menochius lib. I. de *Præsumpt.* quæst. 5. n. 6. Sive, « præsumptio juris, » dicitur quando jus ipsum super incerto præsumit quidpiam ex conjecturis; atque ex tali præsumptione aliquid decernit. Abbas c. *Quanto.* n. 2. h. t.; Mascardus quæst. proem. 10. n. 31. et alii. Exemplum hujus extat in cap. ult. de *Restitut. spoliat.* in 6. ubi decimæ præsumuntur spectare ad ecclesiam parochialem, nisi aliud ostendatur. Item l. *Sive possidetis.* c. de *Probat.* ubi dominium patris præsumitur continuatum in filium hæredem; non in eum, qui contendit rem sibi fuisse donatam a patre, nisi istud probaverit. Alia hujusmodi exempla passim occurrunt in utroque jure.

20. *Præsumptio hominis, quæ?* — « Præsumptio hominis » e contra dicitur, quæ nullo jure scripta reperitur, sed juxta rerum, circumstantiarumque exigentiam, et varietatem prudentis hominis, puta judicis, arbitrio concipitur. Sive, ut inquit Abbas cit. c. *Quanto.* n. 3. h. t. Præsumptio hominis est, quando judex ex aliquibus conjecturis quidpiam pro vel contra aliquem, seu in aliqua causa præsumit : ubi jus specificè aliquid non præsumit. Quia enim judex debet animi sui motum informare ex argumentis, et testimoniis, quæ rei aptiora esse compererit, l. III. ff. de *Testib.* et can. *Si testes.* 4. q. 3. cum concordantiis : ad hoc autem non semper possit habere veram scientiam facti per sensum aliquem corporeum, nisi forsitan factum sit notorium permanens; hinc oportet, ut quandoque animi sui motum informet ex præsumptionibus, quæ causentur ex variis conjecturis, indiciis, aut etiam dictis testium. Et hæc dicitur « Præsumptio hominis. »

21. *Cur non omnis præsumptio legitima, sit præsumptio juris?* — Dices. Omnis præsumptio legitima, et non temeraria, fit lege approbante; ergo nulla datur præsumptio hominis duntaxat. Resp. neg. consequent. Quia ad præsumptionem juris requiritur, ut specialiter sit aliqua lege, seu canone expressa, prout fit in allatis n. præced. exemplis : unde non sufficit, quod tantum terminis generalibus sit permissa.

22. *Præsumptio naturæ, quid?* — Addit Glossa in cit. c. *Is qui fidem de Sponsalib.* et l. ult. ff. De *eo, quod metus causa,* etc. præ-

somptionem naturæ, et præsumptionem facti. Et quidem « Præsumptio naturæ » dicitur illa, quæ resultat ex illis, quæ nobis naturaliter insunt : ut amor filiorum, qui præsumitur erga parentes, et e contra, cum nobis sit insitus a natura. Unde in dubio non præsumitur mater, quæ non diligit filium, c. *Afferte.* 2. h. t. prout exemplificat Mascardus de *Probat.* concl. 1226. n. 4. Similiter juxta Glossam loc. cit. si parens exhæredavit filium præsumitur contra eum, quod injuste exhæredaverit; et hoc propter naturam : nisi ab eo, vel ejus hæredibus, justa causa exhæredationis probetur, l. *Omnimodo.* c. de *Inoffic. Testament.*

23. *Præsumptio facti, quid? et quotuplex.* — « Præsumptio facti » dicitur, quando præsumitur ex subsequentibus factis circa præterita, vel præteritis circa futura. Siquidem « Præsumptio facti » alia est præcedentis circa futura : ut si semel calumniatus es contra me, et iterum velis me accusare, præsumitur quod rursus velis calumniari, l. *Si cui.* § *lisdem.* ff. de *Accusation.* et can. *Si accuatorum.* 3. q. 10. et c. *Semel malus.* 8. de *Reg. Jur.* in 6 cum similibus. Unde vulgati illi versiculi :

Rumor de veteri faciet ventura timeri.
Cras poterunt fieri turpia, sicut heri.

Alia « Præsumptio facti » est subsequentis circa præterita, quando nimirum ex facto subsequenti præsumitur circa præteritum : cum aliqui accusati fuerint de adulterio, quod depellebant prætextu consanguinitatis, si postea in matrimonium se conjunxerint, præsumitur facinus præteritum, de quo antea fuerunt accusati, l. *Si qui adulterii.* c. *Ad leg. Jul. de Adulteriis,* cum similibus.

24. *Præsumptio juris subdividitur; et alia est.* — Resp. II. Præsumptio juris subdividitur in præsumptionem juris tantum, et in præsumptionem juris et de jure. Ita Abbas c. *Quanto.* n. 3. h. t. et communis aliorum. Ratio est, quia quandoque jus præsumit aliquid ex conjecturis in tantum, quod super illa præsumptione quid certum statuat, illudque veluti verissimum haberi velit : et hæc appellatur « Præsumptio juris et de jure. » Aliquando autem jus aliquid præsumit, sed super sua præsumptione non ita firmat pedes, ut super illa certum quid statuat : et hæc simpliciter vocatur « Præsumptio juris. » Itaque :

25. *Præsumptio juris tantum.* — « Præsumptio juris » tantum est illa, cui jus tam-

diu innititur, donec contrarium probetur. Sic de jure quilibet præsumitur bonus, nisi probetur malus; ut c. *Mandata.* et cap. ult. h. t. Et e contra, « semel malus semper præsumitur esse malus » (intellige, in eodem genere delicti, et nisi de emendatione appareat) juxta reg. 8. juris in 6. Similiter vicinus hac juris præsumptione præsumitur scire ea, quæ sunt facta in vicinia, c. *Quosdam.* et seqq. h. t. ubi plurà alia hujusmodi exempla habentur.

26. *Præsumptio juris et de jure, quæ?* — « Præsumptio juris et de jure » illa dicitur, propter quam lex aliquid certum statuit. Abbas c. *Inter alia.* n. 6. et 7. de *Immunitat. Eccles.* Sive « præsumptio juris et de jure » est ea, cui jus adeo fortiter innititur, ut eam plene pro veritate habendam decernat. Unde hæc tantum operatur in foro judiciali, quantum veritas. Abbas c. *Is qui fidem,* n. 2. de *Sponsalib.* Neque recipit probationem in contrarium, c. *Is qui fidem.* de *Sponsalib.* ut amplius dicetur infra n. 52. Et merito hæc dicitur esse « Præsumptio juris, » utpote cum sit a lege introducta : simul « et de jure, » quia super hac præsumptione lex firmum sancivit jus, eam pro veritate haberi voluit. Exemplum habetur cit. c. *Is qui fidem.* de *Sponsalib.* de matrimonio taliter præsumpto. Item Clem. *Litteris de probat.* ubi contra litteras summi pontificis, de facto proprio attestantis, non admittitur probatio in oppositum. Talis etiam præsumptio juris, et de jure, est contra tutorem, quod res in inventario ab eodem descriptæ vere fuerint in bonis defuncti, l. ult. c. *Arbitrium tutelæ.* Omittuntur alia hujusmodi exempla, quæ Glossa fin. cit. c. *Is qui fidem.* §. *Contra præsumptionem de Sponsalib.* adducit.

27. *Præsumptio juris quomodo differat a fictione juris? Remissive.* — Cæterum, quæ ratione præsumptio juris differat a fictione juris, quidque sit fictio juris, fusius, atque ex professo dictum fuit lib. I. tit. II. de *Constitutionibus.* § 8. n. 176. et 181. ac seqq.

28. *Præsumptio hominis est triplex.* — Resp. III. Præsumptio hominis est triplex : videlicet violenta, probabilis, et levis seu temeraria. Ita communis. Ratio est, quia præsumptio est collecta ex indiciis, uti liquet ex ejus definitione n. 3. allata : atque hujusmodi indicia quandoque sunt gravia, vel etiam violenta; quandoque levia, vel etiam nullius momenti; ergo. Itaque :

29. *Violenta.* — « Præsumptio violenta, »

seu vehemens sic dicitur, quia in applicando animum violentat, seu vehementer trahit mentem iudicis ad credendum; et ideo hæc quandoque sufficit ad condemnationem; ut *c. Afferte. 2. h. t.*

30. *Probabilis, et temeraria, quæ?* — «Præsumptio probabilis» est, quæ ex aliquibus verisimilibus indiciis oritur: et hæc quandoque purgationem canonicam indicit, ut *c. Si quis de gradu. de Purgat. canon. cum concordantiis*: quandoque alios habet effectus, de quibus n. 34. et 36. et seqq. Tandem «Præsumptio temeraria» censetur ea, quæ vel ex causis, levibus, ac proinde insufficientibus, vel ex factis æque in bonam et malam partem referibilibus concipitur: et hæc est rejicienda *can. Oves. 6. q. 1.* atque illico amplius dicitur.

§ II.

DE EFFECTU PRÆSUMPTIONUM SEU
QUALITER PROBENT.

31. *Præsumptio hominis quam vim probandi habeat? Levis seu temeraria nihil probat, sed est repellenda.* — Quæritur I. Quam vim probandi habeat præsumptio hominis? Resp. I. Præsumptio levis, seu temeraria, nihil omnino probat; quin potius est penitus repellenda. Ita Glossa marginalis *can. Oves. 6. q. 1. Vallensis h. t. § 4. n. 1. et communis.* Et merito: quia præsumptio levis, utpote ex insufficientibus causis temere concepta, importat suspicionem temerariam: atqui «omnis suspicio potius repellenda est, quam approbanda, vel recipienda,» ut loquitur textus *cit. can. Oves. 6. q. 1.* In nullo potest enim prudenter movere animum iudicis: unde et *can. Primo semper. 2. q. 1.* Iudicibus præcipitur: «Nullam suspicionis arbitrio iudicetis.» Et *c. Inquisitioni. 44. § fin. de Sentent. excomm.* dicitur, conscientiam levis et temerariæ credulitas esse explodendam.

32. *Probabilis, seu rationabilis, relinquatur arbitrio iudicis; ac tantum probat quantum ei videbitur. Præsumptio facit gradum probationis juxta quod indicia stringunt.* — Resp. II. Præsumptio hominis, quæ videlicet jure expressa non habetur, et cæteroquin probabilis seu rationabilis existit, prudenti iudicis arbitrio relinquatur; ac tantum probat, quantum secundum subjectam materiam, et spectata indiciorum gravitate, iudici videbitur.

Ita Abbas *c. Is qui fidem. 30. n. 6. de Sponsalib.* ubi inter alia dicit: quod de his non possit dari certa regula, sed juxta quod indicia stringunt, præsumptio faciat gradum probationis: atque amplius tradit idem Abbas. *c. Quanto. n. 3. h. t.; Bartolus l. De ætate. n. 8. vers. «Ad cujus evidentiam.» ff. de Minorib.; Menochius l. II. de Arbitrar. judic. cas. 117, n. 2; Mascardus de Probat. concl. 1227, n. 1. et alii.* Ratio est, quia ubi iudex non potest perducere ad veram scientiam facti per aliquem sensum corporeum, debet is animi sui, motum informare ex argumentis et testimoniis, quæ rei aptiora, et vero proximiora esse compererit, *l. III. ff. de Testib. et can. Si testes. 4. q. 3. § 1. et c. Causam quæ. 14. de Sentent. et re judicat. junctis concordantiis ac Glossa hic §. Speciem, allegatis.* Atqui hoc ipsum non est aliud, quam relinquere arbitrio iudicis, quantum in casibus specificis probent singula argumenta, seu conjecturæ, sicque quantum gradum probationis præsumptio inde resultans, efficiat. Accedit, quod generatim, quænam probatio hic et nunc sit plena et concludens, nec ne iudicis arbitrio relinquatur, juxta dicta *tit. XIX. de Probationibus. § 3. n. 60.* Atque, ut ibidem n. 63. et seqq. subjungitur, plures dentur casus in quibus non requiritur plena probatio, sed sufficit semiplena, vel alia ex conjecturis deprompta. Unde consequens est, quod iudex, ut arbitrium suum sit regulatum, teneatur attendere ad subjectam materiam, de qua controvertitur, et gravitatem indiciorum.

33. *Idque declaratur inductione.* — Hoc ipsum declaratur inductione. Nam tacendo nunc præsumptionem temerariam, qualis foret, si quis ex eo duntaxat, quod viderit v. g. Titium cum muliere loquentem, vellet præsumere adulterium, estque penitus rejicienda, juxta proxime dicta. Quandoque dantur conjecturæ aequaliter urgentes, quæ sufficiunt ad causandam suspicionem, et præsumptionem probabilem: ut si Titius ille cum quapiam puella sæpius fuit visus in secreto loqui, et confabulari, *arg. can. Clericus solus. dist. 81.* Aliquando possunt esse conjecturæ, atque indicia magis urgentia, quæ proinde causant præsumptionem magis vehementem: aliquando etiam possunt ipsa esse urgentissima, ita ut generent præsumptionem violentam. Atqui nequit certa regula generalis dari, quænam indicia in singulis casibus specificis sufficiant ad generandam

hanc, vel illam præsumptionem; ergo non nisi prudenti iudicis arbitrio oportet istud relinquere determinandum. Verum ponendo regulas quasdam generaliores, ad regulandum, seu rite informandum arbitrium iudicis accommodas.

34. *Præsumptio hominis, cæteroquin probabilis, se sola probat tantum semiplene.* — Resp. III. Præsumptio hominis, quæ cæteroquin est rationabilis seu probabilis, se sola probat tantum semiplene: si vero adjuvetur publica fama, vel aliis adminiculis, potest etiam facere plenam probationem. Ita Glossa *fin. c. Insinuatam de Simonia.* Abbas *cit. c. Quanto. n. 3. h. t. Baldus ad rubric. h. t. n. 2.* asserens, quod præsumptio juris faciat plenam probationem, cui standum est, nisi contrarium probetur; præsumptio hominis autem solum semiplene probet, nisi coadjuvetur aliis videlicet adminiculis. Menochius *l. I. de Præsumptionib. quæst. 94. n. 3. et 4.* asserens, sententiam ferri non debere contra aliquem ex præsumptione hominis probabili; secus, ex violenta. Vallensis *h. t., § 4. n. 1 et 2.* Sannig *eod. cap. II. n. 4. et alii.* Prior pars desumitur ex *c. Inquisitioni. 44. § fin. de Sentent. excomm. et c. Tertio loco. 13. h. t.* ubi habita tali præsumptione probabili, defertur partibus juramentum suppletorium; istud enim deferri non potuisset, si præsumptio illa semiplene non probasset, *arg. l. In bonæ fidei. c. de Rebus credit. neque potuisset exigi, si dicta præsumptio plene probasset, cap. II. de Probation.* Accedit ratio, quia indicia, quibus innitur præsumptio hominis, atque ex variis hominum moribus, et opinionibus oriuntur, sunt quidem verisimilia; unde et sufficiunt ad torturam, juxta Bartolum *l. I. a princip. ff. de Quæst. et alios*: quia tamen adhuc sunt debilia, et fallere possunt, sicque non urgent ad indubitatum credendum, et concludendam veritatem facti; hinc præsumptio inde concepta censetur duntaxat probabilis et verisimilis, ac proinde nequit plene probare, sed semiplene tantum, juxta prudens iudicis arbitrium.

35. *Si vero adjuvetur publica fama, vel aliis adminiculis, potest etiam facere plenam probationem.* — Altera pars colligitur ex *c. Tertio loco. 13. juncta Glossa, et doctoribus ibid. h. t.,* ubi præsumptio, alias probabilis tantum, de commissa copula carnali sponsi cum nepte sponsæ concepta ex eo, quod fuerint a testibus insimul visi per plana, et nemora, *vias et in via plus circumvagari, plene pro-*

bavit accedente fama viciniæ, et propria partium confessione jurata: haud obstante, quod contra valorem matrimonii, atque ad obtinendam sententiam divortii deposuerint; quam etiam obtinuerunt. Concordat textus in *c. Illud quoque. 11. h. t. juncto Summario, ubi dicitur, per cohabitationem diutinam, et famam de matrimonio, aliaque adminicula, probari matrimonium.* Accedit, quod plura indicia de se insufficientia, conjungantur ad eundem effectum probationis; simulque duæ probationes semiplenæ, faciant unam probationem plenam, juxta uberius dicta supra *tit. XVIII. De Confessis. § 6. n. 142. et tit. XIX. de Probationibus. § 4. n. 198. et seqq. (ADNOTATIO IX.)*

36. *Præsumptio hominis potest illum, qui contrarium asserit, gravare onere probationis, si iudici videatur.* — Resp. IV. Insuper præsumptio hominis, si iudici videatur, potest illum, qui asserit contrarium gravare onere probationis. Ita Bartolus in *l. De ætate. n. 8. ff. de Minorib.; Mascardus cit. concl. 1227, n. 3, allegans alios; idque exemplificans in Actore, qui pro fundamento suæ intentionis allegat ætatem majorem: nam si iudex ex aspectu corporis arbitrabitur quod revera actor habeat ætatem majorem, poterit absque alia actoris probatione gravare reum, ut probet contrarium, sicque onus probandi in ipsum transferre. Siquidem ætas hominis, cæteroquin est difficilis probationis, inter alia potest probari ex aspectu: qualis tamen probatio multum relinquatur arbitrio iudicis. Menochius *l. II. de Arbitrar. judic. cas. 117. n. 1. et alii.**

37. *Violenta præsumptio hominis transfert onus probandi in adversarium.* — Resp. V. Violenta præsumptio hominis pro aliquo, transfert onus probandi contrarium in adversarium non probato, facit plenam probationem; adeo, ut ad condemnationem sufficiat, saltem in causis civilibus non nimium arduis. Primam partem probat textus in *c. Veniens. et Abbas ibid. n. 3. de Presbyt. non baptizat. et c. Ut nostrum. § Porro. «Ut ecclesiastica beneficia,» etc.,* ubi ob hujusmodi violentam præsumptionem refunditur onus probandi in adversarium.

38. *Contra præsumptionem violentam admittitur probatio in contrarium.* — Ex quo consequens est, quod contra præsumptionem violentam admittatur probatio in contrarium. Glossa *fin. cit. c. Veniens. et Abbas cit. n. 3. de Presbyt. non baptizat.* Qui tamen